



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Friburgum Brisgoiæ visit, & alias nobiles ciuitates.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

tholica confessione declinantes, sequebantur Agnum quocumque iret, eius umbra protectæ, ne qua cuiusquam labefactari possent iniuria. Sæpius illas Pater mutua cum animorum, sanctaq; lætitia edocere institit, & ad perfectam sanctimoniam laudem accendere.

Inter hæc Friburgum per Brisgoiam excurrit de Collegij sede coram iudicaturus. Excepere per hospitaliter, & frequenter inuitarunt Academici Friburgenses: abeuntique dederunt in mandatis quæ apud Regem Ferdinandum de Academia illa instauranda, ornandaq; curari rogabant. Quæ ille haud illibenter recepit, delectatus cum religione Catholica, quam vigentem Friburgi, tum Theologis, quos sanè præstantes reperit. Apud se per diu tenere modis omnibus conabantur, sed facere satis eximiæ Caritati eorum, præclarisque iudiciis integrum non fuit: tum quod alia festinare cogebant negotia, tum vt mature Ferdinandum, antequam Francofordiam pergeret, conveniret. Extitit ille non vltimus ex ea peregrinatione fructus, quod cum per egregias ciuitates Sletstadium, Colmariam, Brisachum, Rubeachum transiret, multos in iis Catholicos nosse, & conso-

*Friburgum  
Brisgoie vi-  
sit, & alias  
nobiles ciui-  
tates.*



*Consolationi-  
bus Cœlesti-  
bus inter e-  
rumnas re-  
creatur.*

*Donatur in-  
signibus San-  
ctorum Re-  
liquiis.*

lari licuit. Nam quacumq; præterueheretur, vbi  
cunque pedem poneret, exemplo Domini Iesu  
monitisque, & simul exemplis Magistri sui Fabri  
totus frugifer erat, & aliquid ferere, aliquid legere  
spiritualis frugis studebat. Hyems erat asperrima  
omniaque gelu concreta, nec tamen tot per iniu-  
rias peregrinanti firmam modò Deus valetudi-  
nem conseruauit, sed tantum pro sua summa be-  
nitate gaudij cœlestis in animæ sinum contulit  
vt ipsemet explicare se verbis posse neget. Fortè  
se, inquit, quia lacte adhuc opus est paruulo,  
imbecilli mihi. Perfectis enim desolationis,  
crucis solidus cibus congruere solet. Ego dignus  
non sum pro nomine Iesu, quod nūc coram gen-  
tibus istis porto, grauiora pati, & perfectum offerre  
holocaustum in odorem suauitatis. Reuertens  
Argentoratum, renuntiatisque de Friburgo, quæ  
videbantur, ac probata Collegij sede, ita conuenit,  
vt quoniam hæere sibi diutius ad eam deliberationem  
non vacabat, Episcopus, & Clerus a se suam de tota re  
sententiam literis explicatam mitterent: ægreg; ab  
amantissimis Sacerdotibus auelli, & abstrahi potuit.  
Abeuntem instructo curru, additoq; & viatico, & duce  
perhonesto Sacerdo-